

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.





1. Jarvis: De febribus acutis 1729
2. Jaegerstmidt: De ossificatione praeternaturali 1720
3. Jandrosch: De somniis medicis 1720
4. Kamm: De haemorrhagiæ cranii in junioribus nimiae moris 1745.
5. Kaecher: De epilepsia 1725
6. Kaecher: De Glandula pineali lapidescente 1732.
7. Karpinsky: De impedimentis in lithologia occurrentibus 1781
8. Kast: De sale plantarum essentiali 1712
9. Kast: De haemorrhoidibus 1716
10. Kast: De gangraena et sphaecla 1688.
11. Kechelen: De generi camphorae pure raffinatione 1748
12. Koch: De dolorum praecipua ad partem cauris 1740
13. Koch: De egregio corticis Peruviani effectu in febr. septici bus 1782
14. Kear: De lacrimis capitis 1720
15. Kell: De timore luniato membranarum. 1721
16. Keller: Empyematis singularis historia 1749.
17. Kelp: De convulsionibus parturientium 1747.
18. Kielmann: De flatuum fallacis 1749
19. Kilian: De aquae Selteranae, Selterra Wäcker 1740





DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO - CHIRURGICA  
DE  
IMPEDIMENTIS  
IN  
LITHOTOMIA OCCURRENTIBUS

QUIBUS  
ACCEDIT SINGULARIS VESICÆ URINARIÆ  
OBSERVATIO,

QUAM

*PRO LICENTIA*  
SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

*LEGITIME IMPETRANDI*  
IN INCLYTA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE  
ANNO MDCCLXXXI. DIE XXIV. JULII  
SOLENNITER DEFENDET

*AUCTOR*  
NICON KARPINSKY  
UCRANO - RUSSUS.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI  
Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.

---

*Quanto satius est, aliquid nonnulla fiducia vel cum periculo facere, quam spe adempta certo perire; tanto profecto satius est, potentibus praesidiis pugnare, quam nihil agere.*

GALENUS.

---



À SON EXCELLENCE  
MONSIEUR  
DE BETZKOY

CONSEILLER PRIVÉ ACTUEL, CHAMBELLAN DE SA MAJESTÉ IMPÉRIALE  
DE TOUTES LES RUSSIES, DIRECTEUR GÉNÉRAL DES BATIMENS ET  
JARDINS, PRÉSIDENT DE L'ACADÉMIE DES ARTS, CHEF DU CORPS  
NOBLE DES CADETS, PREMIER CURATEUR DE LA MAISON DES  
ENFANS TROUVÉS, CHEVALIER DES ORDRES  
DES RUSSIES.

## MONSEIGNEUR!

*U*ne maladie, peut-être unique dans son espèce par les circonstances qui l'accompagnaient, fait le sujet du petit ouvrage que j'écris: il fallait, pour ne point sortir de l'ordre des choses, le dédier à un personnage, dont les qualités fussent aussi rares que distinguées dans la notre.

S'il est peu d'hommes, qui réunissent sur leur tête des titres aussi variés que Votre EXCELLENCE; disons le sans crainte, il en est encore bien moins qui en remplissent les fonctions avec autant d'ardeur & de discernement.

L'on voit par Vos soins Petersbourg s'embellir journellement; les beaux arts fleurir dans son sein;



l'espoir & la fleur de la nation instruire son courage;  
l'innocente victime de parens dénaturés trouver un asyle  
à son infortune; les affaires du cabinet se diriger à la  
prosperité de l'état; & cette Reine immortelle, qui  
préside au bonheur de toutes les Russies, jouir au fond  
de son palais d'un repos tranquile & assuré.

Qui croira, qu'au milieu de tant d'occupations dif-  
férentes, & dont chacune livrerait à l'embaras un  
homme ordinaire, Votre EXCELLENCE consacre cha-  
que jour une partie de ses moments aux sciences qu'elle  
cultive par gout, & à la bienfaisance, qui fait le fond  
de son caractere?

Vos contemporains voyent avec étonnement Vos  
largesses, MONSEIGNEUR, aller des glaces du nord  
encourager les talens jusques dans les régions du midi;  
plus d'une fois Votre générosité s'est étendue jusqu'à moi  
dans l'Université célèbre, où je suis. Sensible à toute  
espece de merite, Vous montrez que les grandes âmes

aiment à se promener dans l'univers, & que les bienfaits  
rependus au loin deviennent le delassement de leur zele  
patriotique.

L'abandon d'un Mécene aussi gènereux seroit pour  
moi le coup du fost le plus terrible, & l'amour de la  
patric me rappellerait en vain, si je devais être privé de  
son appui: mais mon retour en me retraçant dans la  
personne de Votre EXCELLENCE la touchante perspe-  
ctive des talens & des vertus que je quitte, m'ouvre  
pour toujours le plus vaste champ à l'admiration & à  
la reconnoissance.


Je suis avec le plus profond respect,

**MONSEIGNEUR,**  
de VOTRE EXCELLENCE

le très-humble & très-obéissant serviteur

KARPINSKY.





S. I.

**C**ommunis, quem natura homini dedit, instinctus deficientem adjuvandi naturam, ab omni tempore anxios tenuit lithotomos; hinc quibus auxiliis, miserrima in rerum facie, calculosos diris tormentis, molestissimilve vitam devorantibus tædiis liberarent, totis viribus allaborarunt. Hic labor calculum vesicæ per sectionem educendi, momentosa plurimum periculossimaque interdum artis chirurgicæ operatio, per diversos temporum orbis, veluti gradibus processibusque aucta, dum priorum inventis nova adjicit posteritas, aut fluxas rationes caute repellit, robusta maturitate ad summum, quantum humanarum rerum fert imbecillitas, perfectionis fastigium hodie ascendit. Hunc in scopum sudant & algent quotidie incisores dexterrimi fabricam humanam subtilius evolvantes, substantiam exactius investigantes, sic rem chirurgicam & novis & rectoribus encheiresibus & methodis ditarunt a), amplissimaque arti

a) Vid. el. GÜNZ l. c. nec non cel. LE DRAN *parallèle des différentes manieres de tirer la pierre hors de la vessie.* Paris 1730.



contulerunt incrementa; ut, dum ex antiquissimis artis monumentis lithotomiæ historiam animo revolvimus, illamque cum nostris temporibus conferimus, omnino mutata deprehendamus rerum faciem. Laudandi sunt cordati viri, dirissimis procul dubio ægrotorum cruciatibus excitati, imo proximi amore impulsæ, quod eandem, cum formidolosa antiquitate, orbitam terere noluerint; si enim hanc hucusque tenuissent viam, ut semper majorum inter terminos subsisterent, demersa adhuc tenebris lateret hæc ars humano generi utilissima, minimeque tot millia hominum felici successu ex calculi sectione evasisse videntur. Excusanda tamen est laboriosa antiquitas, dum ejus industria hanc chirurgiæ partem non ad illum, quo hodie conspicitur, perfectionis gradum exornaverit. Ex medicinæ enim annalibus notum est, quam densis tunc anatome involuta tenebris jacuerit, id quod vel ex ipso **ARETÆO** docemur *b)*: sed languente anatomes studio, cui ipsam medendi artem omnia sua incrementa debere a nemine negatum iri persuasum habeo, tristis omnino facies reliquis fuit partibus. Non descendam hic in illam annorum seriem, in qua divi **Coi** medicorum parentis, jurejurando obstricti erant discipuli, ne vesicam inciderent; licet non videam, cur medicus hodie juramento Hippocratico hæc in parte chirurgiæ tam stricte alligari debeat, ut non interdum ipsi, si artis hujus probe gnarus & peritus existat, liceat, imo proximi amore impellente incumbat, calculoso manus admoveere, & mediante sectione medellam adferre, præsertim si lithotomi absentia, aut imperitia id inadeat. Nec illa immaturi pudoris plena tangam tempora, ubi religioni ducebatur, secare humanum corpus, quin quoque pudenda, quæ ab omnium

*b)* Lib. II. de acut. c. 9. vesicam esse nervum latum, & c. 10. frigidum & album, docuit.



conspectu velanda sunt, intueri c). Bonis calculosorum rebus, infelix ille metus, ac immaturus pudor, hodiernis diebus evanuerunt, & magnorum virorum industria ita exulta est calculi operatio, ut de felicissimis ejus successibus numerosa extent testimonia, sed ita tamen infelicitate cedit quandoque, ut tristi rapiantur fato, qui eam subeunt mileri, idque, nec methodi, nec secantis culpa; surgunt etenim aliquando insolita, quæ dexterrimo operatori metum incutiunt, phænomena, ut nesciat, quò se vertat, ut trepidam manum in ægri salutem dirigat. Visum itaque est, data hac opportunitate, operæ pretium esse, ut in unum continuum sermonem contexantur quedam eorum, quæ interdum difficilem, quandoque irritam infelicemque efficiant sectionem. Horum obstaculorum fontes ex gravissimis observatorum testimoniis repetam, dein subjungam meam observationem notatu dignissimam, ut alii artis adminicula ad hanc conquirant, & ut miseris ita affectis medelam afferant. Fateor pauca hic, si scriptores consulas, responsa ferēs.

## §. II.

Venit statim obstaculorum primum illa cystidis urinariæ carnositas, de qua, pro dignitate ante ill. MORGAGNI d) & cel. DE BINGEN e) nemini dictum est. Etiam illos artis magistros, qui speciatim de lithotomia scripserunt, modo nullam plane, modo obscuram tantum hujus morbi forte non adeo infrequentis, mentionem injecisse, sed sicco eundem, ut ajunt, pede, transiisse, facti medicorum loquuntur. Hic vesicæ affectus respectu ejus natu-

c) Vid. MEIBOM. in Comment. in *Jusjur. Hippocr.* cap. XVI.

d) In *epist. præcipue XLII.* art. 33. in fine p. 173. Lib. III. de *sed. & caus. morb.*

e) *Dissert. de carnositate vesicæ morb.* Altorf. Noric. 1759.



ralis structuræ consistit in carniū membranarūque mole, præter naturam aucta, eaque plurimum alterata tam quantitate, quam etiam qualitate. Amittit hoc viscus suam sanam faciem a diversissimis causis: ita ex spasmo vesicæ diuturno carnosam vesicam recenset cel. HOFFMANNUS *f*) ex prostatica excreſcentia ill. MORGAGNI *g*), ex scabie vesicæ cl. RUYSCHIUS *h*) tantam ejus incrassationem observavit, ut revera digiti spissitudinem æquaverit; ex crebriore urinæ stimulo in bibace idem MORGAGNI *i*); ex pure a renibus per ureteres stillante cl. DE BINGEN *k*). Corpus vesicæ in callosam substantiam conversum post inveteratam dysuriam cel. BONETUS *l*) viderunt; sed hæc non sunt nostri scopi, ea solummodo nostræ erunt considerationis, dum hic dirus mali genius a calculo in vesica hærente furgat, & quomodo is, dum ferri auxilium instat, conamina operantis eludat.

§. III.

Quod vesica a calculo ita depravari possit, docent hoc acta Edinburgensia *m*), ubi prostat mirus casus vesicæ scirrhosæ & indurate a calculo, quæ ponderabat triginta uncias, & drachmas duas, discissa, vero vesica, hæc memoratur digna monstrabat: interne albi coloris erat; & coagmentata, structaque videbatur ex diversis, & a se invicem separatis glandulis, nullam habebat cavitatem, nisi hanc, quam transiens urina sibi aperiebat.

*f*) *Med. Rat. System.* Tom. IV. Sect. II. c. VI. obs. I. p. 417.

*g*) *l. c.*

*h*) In *Observat. anat. chir.* obs. LXXVIII. p. 72. fig. 62.

*i*) *l. c.* obs. 34.

*k*) *Hist. eid.* §. VI. p. 111.

*l*) *Sepulchr. anat.* Lib. III. Sect. XXIV. obs. XVI. p. 1237.

*m*) Tom. I. p. 424.



Cel. RYVSCHIVS historiam refert de juvene, qui calculo vesicæ laboraverat, in cujus cadavere secto, vesica digi- tum transversum crassa deprehensa fuit, separabilis qui- dem erat in tunicas innumerabiles, inter quas materia purulenta variis in locis pinguedini liquefactæ adamussim- similis erat n) inter alios BEVEROVICIUS o) in calculo- forum cadaveribus vesicam adeo incrassatam fuisse, ut pollicis crassitiem æquaret, vidit. Vidit & cel. van SWIETEN p) vesicam adhuc crassiozem, & fungosam quasi, sed simul tam parum coherentem, ut etiam a le- vissimo attactu rumperetur. Miram talem harum partium degenerationem in puero undecim annorum, a prima in- fantia calculi symptomata passo cel. de HAEN observa- vit q). Aliquando vesicæ interior superficies duros, callo- sos tumores habuit, qui calculorum specie potuissent fal- lere etiam peritos; quandoque, præter calculum, inven- ti fuerunt fungi carnosî, basi sua firmiter hærentes vesicæ membranîs r). Dum hæc perpendis, elonginquo jam, recte perspicies. Sed antequam plenius rem aggre- diar, repetam genesin hujus monstri vel levissime a pri- mis ejus principiis.

§. IV.

Si hujus mali ortum rimari velimus, certe hoc nat- uræ tramite ad ejus incunabula eundum esse puto: dum illam perpendo vesicæ efficacem semperque laboriosam vim summo gradu in fibris ejus carneis diffusam, cui

n) Lib. c. observ. 89. p. 113. fig. 70.

o) Steensuck cap. IV. p. 53.

p) Comment. in H. B. Aphor. ed. Paris. Tom. V. p. 332.

q) Rat. med. Vol. 1. p. 132 sqq.

r) PECHLIN Observ. physico-med. p. 7. de bel.



accedit tandem nervorum propria virtus, quæ singulari nec describendo conjugio, robori vitali nupta, singulas in hoc viscere ad movendum idoneas particulas suæ ita functioni aptat, earumque integritatem lente interrupteque conservat, hacque virtute animata vesicæ partes eo usque feliciter conspirant, donec nihil insoliti, contra has sibi privas in agendo leges insurgere persentiscant. Dum ve calculi in cavo ejus hospitantis naturam, ceu dirissimam stimuli causam, quæ sensilissimos ejus parietes læcessendo, irritando, premendo, lædendo affluxumque humorum, cum spasmò commovendo agit, considero, quidni hanc vesicæ carnositatem cum cl. MÜLLER s) derivem hoc modo: scilicet, inest vesicæ calculus, scabies, fungosa caro, ulcus, urinæ copia justo major, acrior, quæ, dum perpetuo sensibilem stimuli que impatientem membranam irritant, excitatur vigilans ista semper naturæ vis, insurgit contra hostem, contrahitur vesica, complectitur alienum, quo stimulat corpus, ac permanente stimulo perdurat, augetur contractio, hoc in statu occalescere incipit vesica, ac allato jugi fluxu perpetuo nutrimento crassescit; ita ex organica parte, in informem mutatur massam, præ nimia tandem contractione perit contractilis vis, necessaria naturæ legē t). Hoc factò, obliterantur, tractu temporis, omnia tunicarum vestigia, sicque vesica vires suas, in recipienda, mutanda, afferenda excernendaque urina, plane amittit, cujus vitii & particeps sine dubio redditur sphincter u). An autem ali-

s) Dissert. de rara calculi vesicæ observatione. §. IX. p. 27. Argent. 1768.

t) GAUBII *instit. pathol.* §. 209. n. 5. in fine.

u) Vesicam in hoc statu, retentrice facultate imminuta peccare, & expultrice aucta existimat cl. DE BINGEN. *Diss. cit.* §. 3. in fine. qui vero rem penitius perpendit. urinæ stillicidium non ab aucto vesicæ robore, sed ab inertia pendere, dicit.



quid certi de cognoscenda vesicæ carnositate potest statui, ut rite dignosci queat? abscondita visceris sedes, atque signorum, quæ pathognomonica solent dicere medici, penuria, credere non permittunt. Fallere eam sæpenumero testatur digna notatu observatio cel. DE HAEN *w*): puer erat congenito vexatus calculo; cujus certe vesica, si ulla probabilis datur conjectura, crassitie debebat esse aucta, atque irritam efficere sectionem, salutaris tamen hæc fuit, & coaluit vesica. Quæ igitur causa est, cur ex binis hominibus eodem laborantibus morbo, in vesicæ carnositatem incidat hic, non incidat ille?

## §. V.

His allegatis, in viam redeunti mihi, de obstaculis ex hoc morbo, in sectione calculi, oriundis, dicendum est: summa erit difficultas sectionem dirigendi, cum sulcus catheteris, qui scalpellum excipere debeat, in crassata sic vesica, distinctè tangi nequeat, asserit ill. VAN SWIETEN *x*). An ulla arte, ex carnosa extrahi posse calculum vesica vehementer dubitat cl. MÜLLER *y*); "cum in hoc statu vesica tota, inquit, ab ipso collo ad fundum usque est dividenda, ac ne tunc quidem forcipe potest prehendi calculus." Ast ponamus, hac encheiresi, quam ad extrahendos cysticos calculos proponit cl. HOUSTET<sup>r</sup> extractum fuisse calculum, certe vesica nec unquam claudenda, nec in pristinum statum restituenda erat; quæ enim pars ab organi natura in informem massam semel degenerata est *z*), eam arte restitui posse, nulla docet expe

*w*) *Rat. med.* Part. V. cap. V. §. 4.

*x*) l. c.

*y*) l. c. §. XII.

*z*) Carebimus igitur sine incommodis omnibus istis medicamentis, quæ recenset cl. DE BINGER *diff. cit.*



rientia, nec sana ratio suadet. Sed eni adhuc, quod majus nobis videtur obstaculum: cum in hoc vesicæ statu, vaforum, quæ illam alluunt, orificia insignia sint, contractilitas autem, uti diximus, ejus impedita, ob induratum fibrarum structuram; exorientur ergo, tempore sectionis, maximæ hæmorrhagiæ, fidæ insignis dilacerationis vesicæ comites, sicque omnem a lotionibus speratum successum elufuræ.

## §. VI.

Cum ulcera vesicæ, ut ab aliis causis, præcipue vero a calculo nata, sint gravissima, imo magnam fere partem lethalia *a*); possunt ergo illa in numerum minus faustæ sectionis recipi. Exosos horum ulcerum môres delinearunt plurimi, paucos tamen proferre liceat: refert cl. LIEUTAUD *b*) historiam cujusdam matronæ, quæ diu ante obitum rejecerat e meatu urinario membranam quandam crassam & latam, materia sabulosa refertam, inveniebatur tota vesica exulcerata, & a calculis ibidem conclusis attrita, & disrupta. Adhuc majoris miseriæ exemplum de quodam juvene profert TULPIUS *c*), qui præ magnis vesicæ torminibus coactus fuit integrum annum sedendo transigere, nusquam in pulvinar inclinari ipsi licebat, quin subito têtano corripere, adeo ut angue & rana pejus fugeret misellus æger qualescunque decumbendi genus: tandem inter has ærumnas obiit. Duo occurrebant

*a*) Optime præ ceteris hoc videri potest ex DOUGLASSII diff. de alto apparatu, in qua plurimâ ejusmodi exempla referuntur, præsertim in Append. p. 85. & seq.

*b*) *Historia anat. medicæ* Tom. I. obs. 1273. hanc observationem ex WILLISIO adducit.

*c*) *Obs. med.* Lib. III. cap. 2.



currebant in vesica insignes calculi mucos, & puri penitus immersi, vesica adeo fuit calculis attrita, & pure consumpta, ut lotium proprio receptaculo destitutum libere fluctuaverit per universa intestina. Dum hoc infelici tempore suscipitur calculi sectio, quæ per se sua sevitie visceri molestissima, hisque cum malis jam ante sectionem existentibus conjungitur, miseris mortem infert, sive saltem ærumnarum multitudine gravatam vitam relinquit. At quis scirrhum in vesica nasci posse crediderit? nili & huic morbo, glandulis alias folis proprio obnoxiam esse cystidem in dubiis observationibus apertum fecissent HIL-DANUS *d*) BONETUS *e*) MORGAGNI *f*) BAGLIVIVS *g*) de HAEN *h*). Hic cytotomiam conduxisse unquam natura scirrhi credere vetat, quem irritare, sana chirurgia hucusque nefas esse docet. Mitto adhuc illam hujus mali fallacem indolem, quæ sæpe calculum vesicæ adamussim mentitur, dum a stagnante in vesica urina arenulis veluti incrustatur, hinc quadam asperitate cathetere percepta, fallit explorantes.

## §. VII.

Nunc magnitudo calculorum, quorum innumera apud auctores existant testimonia, consideranda venit *i*), quæ itidem sectionem reddit periculi plenam, quin etiam sæpe matura morte terminatam. Varia de extrahendis his calculis opinio apud artis magistros reperitur. Sic Guil-

*d*) *Observ. chir.* cent. I. obs. LVI. & cent. II. obs. LXV.

*e*) *Lib. III. Sect. XXIV.* obs. X. n. 5 & 8.

*f*) *De sed. & caus. morb. epist. XXXIX.* n. 33. & *epist. XLII.* n. 15. & 28.

*g*) *Prax. Lib. 1. cap. 13. §. 8. n. 2.* bis sibi visum esse casum testatur.

*h*) *Rat. med. Part. III. cap. IV. p. 161.*

*i*) Cl. SCHURIGIUS in sua *lithologia hist. med.* cap. III. historiam magnorum calculorum ex variis auctoribus collegit.



helmus Fabricius HILDANUS *k*) monitum vult lithotomum, ne calculum facile confringere tentet, propter magnum, quod operationi & fractioni isti imminet periculum; saepe enim calculi durissimi in vesica reperiuntur. Quis autem quæso calculos instar filicis duros absque periculo in vesica confringere possit? Quoniam etiam calculi duritiem vel molliem difficulter percipere possumus, ideo suadet, ut fidelis atque industrius lithotomus a grandiorum calculorum extractione absteat. Dissuadet etiam Jean Baptiste VERDUC *l*) "Si les pierres, inquit, sont extraordinairement grosses, il vaut mieux les laisser, que de faire mourir le malade, surtout si l'âge & d'autres circonstances, auxquelles on doit avoir égard, sont contraires à l'opération, on a vu des pierres si grosses, qu'elles occupoient tout le volume de la vessie." JOSEPH DE LA CHARRIERE *m*) docet: "Si le volume de la pierre ne permet pas sa sortie, il faudroit la dilater avec un bistouri, & rejeter l'usage du dilatoire, à cause des grandes dilacérations, qu'imprime aux parties." Sic etiam HEISTERUS *n*): quodsi calculi magnitudo & vulneris amplitudinem & medici solertiam vicerit, forcipem aliquam grandem atque denticulatam ad confringendum calculum adhibere, atque dein, si res successit, singula calculi frustula sigillatim protrahere conveniet. Denique si & grandior & durior calculus existit, quam ut confringi, aut educi queat, tum insanabile ut plurimum esse malum consuevit. Adeoque chirurgis prudentioribus quibuscunque fatius visum est, in istiusmodi casibus calculum intus in vesica relinquere, atque infecto

*k*) De lithotomia vesicae cap. 15. p. 106.

*l*) Des oper. de chir. cap. 2. p. 40.

*m*) Des oper. de chir. cap. 19. p. 126.

*n*) Chir. part II. Sect. V. cap. 141. p. 870.



negotio vel plagam rursus glutinare, vel fistulam relinquere, per quam urina profluat, quam frustra hominem ad mortem usque forcipibus discruciare, atque per crudelissimam operationem aliquam efficere, ut sub manibus atque scalpello, sicut nonnullos fecisse novi, idem intermoriatur. Hæc auctorum consilia quem habuerunt fructum, paucis proferam: refert HILDANUS o) de intrepido quodam lithotomo, dum calculum monstrosæ magnitudinis, cineritii coloris, inæqualem acsi ex multis lapidibus compactum, & ad uncias viginti duas pendentem, ex vesica juvenis cujusdam extraxisset, in ipsa operatione, quæ longa & laboriosa imprimis vero dolorosa fuit, æger cessit fati. Memorabilis præprimis est, quam cl. SCHÆFFER p) recenset, observatio de puero annorum quindecim, qui Lutetiæ Parisiorum se curationi commisit in nosocomio *la charité* dicto, instituta incassum sectione, debitum naturæ solvit ægrotus. Secatur cadaver, atque stupendo spectaculo, reperitur calculus pugni mediocris magnitudine, duabus cuspidibus utriusque ureteri, tertia vero sphincteri impactus, supra quem ita firmiter sese constricterat vesica, ut ejus inferior pars, quasi adnata videretur. Infelicem horum calculorum extractionem fuisse testantur adhuc PETRUS ROMELIUS q) & I. N. PECHLINUS r). Utrum hæc frustranea operatorum conamina videndo deferendam hanc chirurgiam, ægrosque suæ sorti relinquendos esse putabimus? Non suadent aliorum successus felicissimi. Extractos enim fat magnos calculos sine vitæ periculo fuisse, memoriæ prodiderunt AMBR. PARÆUS s), ubi

o) *Obs. chir.* cent. IV. obs. 51. p. 324. hujus monstrosi calculi delineationem ibidem p. 325. reperies.  
 p) *Dissert. de variis lithotomiæ generibus* §. XXI. p. 13.  
 q) *M. N. C.* dec. 2. An. 8. obs. 185. p. 477. sqq.  
 r) *Obs. Lib. I.* obs. 2. p. 4.  
 s) *Oper. Lib. 24.* cap. 19. p. 567.



calculus vesicæ pugnæ crassitiem, novemque uncias pendentem felicissime ab JOH. COLLO pistori dulciario extractum fuisse legimus; & cel. LE MATRE r) calculum, cujus tam prægrande erat volumen, ut illum quilibet, pubis & perinæi regionem tactu explorando, sine ulla exaggeratione, distincte perfentiscere valeret, frustatim, peculiari ad illud opus fabricata forcipe, omnem tandem feliciter extraxit. Situs calculi non bene detectus reddit operantis laborem frustraneum, etiamsi a summa chirurgica sapientia hic labor dirigeretur; narrat talem casum cl. DE HAEN u): “adolescens, inquit, calculi symptomata patitur, calculumque in vesica habere deprehenditur, dum sectionem moliebatur lithotomus aptus; calculum omnes percepimus, audivimus, apprehendere & educere, quidquid tentaret artifex, non potuit; inani tamen conatu, cum vulnus curatum esset, dolores misero multum mitigavit, attamen post aliquot mentes, dolor rediit, dolori mors successit; sectione anatomica cadaveris erat inventum, calculum tota fere mole sua in uretere hæsisse, parva portione modo intra vesicam prominentem, adeoque extractioni ineptum.”

§. VIII.

Jam in illa, quæ summo jure irritam efficiunt operationem nostram, evolvat obstacula: hæc sunt vesicæ appendices cl. de BROKE w), a perspicacissimo MORGAGNIO x) herniarum, ab Illustri vero HALLERO cocco-

t) Dissert. de probatissima calculum vesicæ extrahendi methodo. Argent. 1759. auctore cl. LERICHE.  
 u) Rat. med. part. III. cap. IV. p. 159.  
 w) Dissert. de vesicæ urinæ appendicibus. Argent. ann. 1754.  
 x) Advers. anat. III. animadv. 36. p. 74. & de sed. & caus. morb. epist. XLII. n. 30.



rum recessuum nomine denotatæ y.) a multis auctoribus pro vesicis duplicibus triplicibusque celebratæ. Hi vesicæ sacci calculorum interdum domicilia tum pro diversitate loci, tum pro varia eorum magnitudine, tum numero, quam etiam figura solent variare vel maxime; vix erant in uno subjecto superficie externæ vesicæ ad latera adnati, qui exactam ovorum figuram exhibebant, diversarum erant dimensionum, nonnulli ovis asferinis majores erant, alii mole gallinarum ova æquabant, numero in univèrsum duodecim, & octo eorum integri, feroque limpido pleni; vesicularum una continebat largum racemum ex minoribus ovulis constantem ovarum crassitie, quæ omnia fero repleta erant, reliquæ omnes nil nisi serum includebant a). Exhibita erat vesica humana a cl. Nourse societati regie Londinensi, in quâ sex sacculi, a totidem allongationibus tunicæ internæ hujus visceris, quæ per fibras tunicæ carneæ protuberabant formati, & novem calculos continentes cernebantur b). Cel. MORGAGNIUS c) vidit duas subrotundas cæcæ ad summam vesicæ partem a dextris, singulas cæcæ majoris capaces singulis orificiis lupini diametro cum vesicâ communicantes. Ad utrumque vesicæ latus paulo supra insertionem ureterum appendices duas nûcis moschate magnitudine profert cl. de BROKE d), cum orificiis, quorum ope cum vesicâ communicabant maximis. Vix erat e latere vesicæ sinistro memorabilis appendix duplicem mentia vesicam in magno CASaubONO e), totami-

y) In BÖERHAAVE vol. III. p. 266.

z) DE BROKEL c. §. 5. 6. 7. 8.

a) DE BROKEL c. §. 4. hanc observationem EDUARDI TYSSON adducit.

b) Ibidem.

c) In advers. anat. III. animadv. 36. p. 74.

d) l. c. p. 5.

e) Binas exhibet descriptiones BONETUS Sect. XXV. tab. III. Extat



ne rotundo in vesicam veram pervia; quatuor digitorum apices admittente, urina turgens, capacitatis ad illam sextupla, situ tali, ut totam hypogastrii partem sinistram usque ad ossa ilium occuparet. Allegat adhuc GERHARDUS BLASIUS vesicæ admirandam appendicem f), quæ loco vesicæ, ubi urachus exit, ita adhærebat, ut duas quasi vesicas, quarum altera superiorem fundum sequentis vesicæ occupantem, altera inferiorem naturalem urethræ continuam repræsentaret, circa hujus extremitatem contracta admodum vesica, ac si annulo quodam constringeretur, sic, ut nonnisi parvus hiatus relinqueretur, qui stylum exiguum admitteret. Ex his pronum est colligere, quænam horum loculamentorum magis lithotomis figantur, certe illa, quæ magis a cervice vesicæ distant, hiantque in cavum ejus obscure.

#### §. IX.

His itaque appendicibus inhærentes calculi cystici vulgo dicti g), alii eorum sua in cystide sunt mobiles; ut PARSONS h) vesicam delineavit appendicibus præditam, in quibus calculi diversæ figuræ erant, quarum appendicum orificia ampla, ut calculi intus liberi essent; alii immobiles, qui suis foveis alte infixi sunt, quod videre est apud ALBINUM i), ubi LEDEBERGIUS meminit ejusmodi

& apud MANGETI *biblioth. anat.* tom. 1. p. 406. & in *theatr. anat.* lib. II. cap. XII. tom. 1. p. 409.

f) *In observ. anat.* Lugd. Bat. 1674. 8. p. 126. & p. 138. tab. XV. fig. 10.

g) Galli hos calculos dividunt in *pierres enkystées*, qui penitus in receptaculo tali appendicis inclusi, & *chatonnées*, quorum calculorum pars in cavo vesicæ videre est. Vid. le Cat. *l'opération de la taille* in fine, dissert. epistol. sur l'opinion de l'adhérence des pierres à la vessie.

h) *Acad. de chir.* tom. I. tab. VII. fig. 2. lit. G. C. n. 1. 2. & 3.

i) *Annot. acad.* Lib. VII. c. X.



calculi, qui in sacco repertus est supra ureterem; cujus pars in cavum vesicæ emittit, quæ a sacculi ostio maxime comprehendebatur. Huc trahi posse videtur & ille casus, quem ill. DE LA PEYRONIE in cadavere vidit, in quo cystidis orificium plica quasi tectum, ut calculus fere visum fugeret *k*). Exhibet adhuc MERRET vesicam pluribus cellulis præditam, in quarum una calculus hæsit nulla arte tollendus *l*). Collegit cystide comprehensorum calculorum exempla ex libris observatorum prioris nostrique adhuc sæculi cl. HOUSTETUS *m*), DE BROKE *n*) & MÜLLER *o*).

§. X.

Sic affecta vesica, sentit forte fortuna explorans chirurgus calculi apicem, auditque sonitum, fecat vesicam, eoque ipso momento ciet se muscularis vesicæ potentia, amplectitur nucleum ita ut in cavum immissa forcepsprehendat nihil, operatorque sine suo eo magis cadat, quo fortius angustatum est appendicis orificium validiusque constringuntur fibræ, etsi quandoque forcipis opeprehendatur calculus; sed, cum is, quod sæpe accidit, non firmioris compagis est, sed arenosæ & mollis, abrumpitur, ut corpus ejus in cystide maneat, uti cl. BOUPOU hoc accidit *p*). Majoris adhuc periculi res est, si calculus alta vesicæ petiit, & prælonga vesica est, atque calculo maxime defatigata, ut plenarie in se coire nequeat, tunc etiam digitus ultra translatus in vesicæ cavum scalpelli operam

*k*) Acad. de chir. l. c. p. 400.

*l*) *Observation sur la physique, l'histoire naturelle & les arts.*  
Paris 1772.

*m*) l. c. p. 403. seqq.

*n*) l. c. §. IX.

*o*) l. c. §. IV.

*p*) Acad. de chir. l. c. p. 422.



impedit, quominus tuto sectio fiat; sed quid jam de illa  
 lethifera ægrorum forte dicere restat, in quibus hi calculi  
 conditi, inæqualis crassitie nec rotundæ molis sunt, in  
 cujus calculi inæqualem superficiem musculares fibræ sese  
 insinuanti, & calculum maximeprehendunt; eò imprimis  
 tempore, quo vesica sectione irritata sese constringit?  
 Nondum satis est, sed & illud infortunii alunt hæ appen-  
 dices, ut sectionem jamjam passo, bonisque suis rebus a  
 diro suo hoste liberatum sese autumanti, ocyus ferius no-  
 vos pariant cruciatus, extracto sodali, succedit ex alia cy-  
 stide egressus novus, crescit urinæ recrementis, (novos  
 parat insultus, quos prævidere non datur lithotomo q).  
 Hæ sunt illæ in labore lithotomorum difficultates, quæ  
 in præsens periculum non minus ægri vitam conjiciant,  
 quam famam curantis. Tali in statu prægressa ætas horre-  
 bat calculos aggredi; principes lithotomorum retraxerunt  
 se ab hoc labore, suæque sorti ægros reliquerunt. Ita RA-  
 VIUS expertæ probatæque audaciæ lithotomus, teste DE-  
 NYSIO r), si talem calculum in vesica deprehenderit, præ-  
 dixit, eum sine noxa educi non posse, satius duxit ægrum  
 non curare, quam frustra, & cum maximo vitæ discrè-  
 mine calculum agitare, legem sibi posuit tales non tan-  
 gere calculos; aliquando is calculum forcipe jam conclu-  
 tum temperat, cum vero haud promovere posset, reliquit  
 & vulnus glutinavit; hanc ipsam olim PETRUS FRANCO  
 fovebat sententiam, qui horum calculorum historiam &  
 prognosin accurate persequutus est s).

S. XI.

q) l. c. §. V. p. 16. cl. MÜLLER.

r) *Obs. chir. de calculo* lib. V. p. 68.s) Vid. *Traité des hernies* &c. à Lyon ann. 1561. c. 31. p. 117. & 119.



§. XI.

Non defuerunt sagaces viri diris ægrotorum tormentis precibusque commoti, qui CELSI aureo, quod si alii ubi, certe hic valet, dicto: *fatius anceps remedium quam nullum*, corroborati, hac teni obscuraque spe freti, aggressi sunt hoc grave opus; etsi non omnibus de fausto hujus laboris eventu gloriari licet. En quædam tristissima hujus moliminis exempla: succubuit æger, quem SCHENKIUS recenset, post evulsionem calculi cystidi inclusi *t*). Mortuus est & TULLII calculosus, cystide involuto calculo *u*). Cessit fatis quoque & ille, de quo cel. HEISTERUS memorat *w*). Infeliciter extraxit cysticum calculum cl. BOUQUOT *x*). Sustulit ægrum e visis hæmorrhagia, cui calculi sectionem administraverat ill. DE LA PEYRONIE, calculumque, qui facile cedebat, a vesicæ membranis avulserat *y*). Frustra fecuit juvenem cl. BOUDOU, non obtemperante cystico calculo *z*). Hic tamen non substiterunt audaces lithotomi, sed, annotando quid in tali casu præstiterunt alii, in operando semper eo allaborarunt, ut quantum fieri posset, tales calculos ex suis promerent hospitiis; docuerunt tandem dies, conamina eorum & in hoc gravi negotio non frustranea, sed felicissimo fuisse coronata eventu. Mansit in vita superstes ægrotus postquam cl. PALLAS digito separationem membranæ fecerat, quo facto, forcipe arctius constrictus lapis avulsionem, denique & extractionem non sine summo ægotantis dolore permisit, æger tamen, post ingentem hæmorrhagiam, lipothymiam febremque in-

*t*) *Obs. med.* Lib. III. obs. 269. p. 489.

*u*) *Obs. med.* L. III. cap. V.

*w*) *Diff. de alto apparatu.* Helmst. 1728. p. 46.

*x*) *Mém. de l'Acad. Roy. de chir.* Tom. I. p. 398.

*y*) *Ibid.* p. 419.

*z*) *Ibid.* p. 429.

flammatoriam superatam convaluit a). Exemit feliciter calculum cysticum cel. COVILLARD, factis in vesicam injectionibus, quarum ope solvit folliculum b). Aequè prospere cessit, quam perfecit cl. GARENGEOT, calculi sectio, referente cl. HOUSTET, in puero decem circiter annorum nato, dum prudenti encheiresi discisso sacco calculum solvit, atque libere extrahit. Vesicæ quoque prolongationes sæpe sunt domicilium calculorum \*), quæ, si modo non circa cervicem, sed in altiori vesicæ loco sitæ sint, summam difficultatem operatori incutiunt, atque irritam efficiunt operationem.

§. XII.

Dicendi sunt nunc illi, qui penitus cystide includuntur, calculi. Horum cystogenesiam ingeniose proposuit in rarissimo suo libello PETRUS FRANCO c), quem sequuti sunt NICOLAUS TULPIUS d), THEOPHYLUS BONETUS e), VATERUS f), PLATNERUS g), DE BROKE h) aliique. Huic

a) *Miscell. Berol.* Tom. IV. Part. III. n. X. p. 186.

b) Apud cel. BONET. *Sepulchr. anat.* L. III. Sect. XXIII. obs. IV. §. 13.

\*) Hos calculos les pierres en poches vocat HOUSTET. *Acad. de chir.* Tom. I. p. 423.

c) Ce Cyste, inquit, peut être fait, quand la pierre entre de l'uretere en la vessie, laquelle pierre peut acquérir quelque grosse matiere, si elle se repose gueres à l'entrée de la vessie, dont par ce moyen peut être fait un cyste, lequel demeure adhérent à ladite vessie, & couvre la pierre, pareillement peut advenir, que la pierre étant engendrée aux roignons, & par la vertu expultrice envoyée en la vessie par les ureteres, que voulant entrer dedans la vessie, est retenu entre les deux membranes, desquelles la vaissie est composée &c.

d) *Obs. med.* L. III. cap. V. p. 187.

e) *Sepulchr. Anat.* Lib. III. Sect. 32. obs. IV. p. 1182.

f) *Diss. inaug. de observ. rarissimis calculorum in corpore generationem illustrantibus.* Wittenb. Ann. 1726.

g) *Opusc.* p. 211. §. XIII.

h) l. c. §. 13.



plausibili sententiæ ut facile manus demus; anatomie vetat, infringi cadereque penitus hanc mentem, clare evincit: dum enim illas validas ligamentosas versus vesicæ collium exporrectas fibras ureterum fines vesicæ collo firmissime jungentes attente rimamur, & rudimenta calculi cum lotio descendentiā perpendimus, impossibile erit, ut hæc levissimi ponderis primordia calculi faciant discessum inter has compactissimas, non facile a se secedentes ligamentosas fibras, hicque cuniculos agendo cystidem tandem a tot viris celebratam efficiant. Manebit potius calculus fini ureterum impactus, quam nerveam inter muscularemque tunicam descendet \*). Magis naturæ convenientem ortum hujus cystidis calculorum dandum esse puto, si ejus natalia ab ante allegatis appendicibus traham; vesicæ enim carnositas, & fibrarum musculofarum intumescencia a perpetuo stimulo orta, atque adaucta, appendicis ostium sensim minuire poterit, ut illud temporis tractu penitus deleatur; sic calculus, qui ante videri potuit, nunc penitus in cystide delitescit i). Calculus ita penitus cystide involutus vexat ægrum dolore eoque difficiliore, quo hic nucleus sua in cystide mobilior, & superficie magis inæquali præditus sit. Prima hic surgit difficultas, instrumentum in vesicam compulsum non tangit calculum k), vertat illud chirurgus quaquaversum in vesicæ cavo, demittat & in anum digitum, levet inde vesicam, ut, si quis inibi calculus instrumento occurrat, inclinet ægrum in latus, aut erecto corpore eum esse jubeat, depleat urina vesicam, eandemque lotio repletam

\*) Vid. ALBINUM l. c. & de HÆN Part. III. cap. IV. p. 160.

i) ill. LOBSTEIN Diss. de calculis vesicæ urin. cysticis §. X. p. 20. Ann. 1774.

k) De his vid. PARÆUM Lib. XVI. cap. 36. & MARCELLUM DONATUM Lib. IV. cap. 30. p. 226. de medica hist. mirab.

perquirat, cathetere utatur plus minus incurvato, nullo tali in statu nec situ, quo figuratur æger, suo fine, præcipue dum non cervicem, sed alta vesicæ petit calculus, potitur chirurgus. Dum fortuna forsan adesse in vesica calculus percipitur, & ad ipsam operationem erit perventum, rem esse difficillimam & periculi plenam, omnes fatentur & in hoc arduo opere quænam encheirefis eligenda est, disputatur; cum cardo rei versatur circa solutionem tunicæ calculi, qua neglecta, dum ita opertus calculus forcipe prehenditur, vehementer adducitur & vesica laniatur, desperari debet curatio. Num felix futura sit encheirefis, quam in ejusmodi casibus proposuit LITTRIVS *l*)? ut scilicet digito in anum dato, & cathetere in vesicam depulso, velamen calculi deteratur, & rumpatur. Periculosissimam hanc medendi viam esse, quis non videt? suadent alii & recte adhibere digitos potius, quam instrumenta, cum illi sentiant, quid faciant, non vero hæc. Si methodos spectes; alii magno, ut ajunt, apparatu, alii parvo usi sunt; alii lateralem sectionem malunt. Cl. HEISTERUS altum apparatus reliquis præfert *m*). Sed quorsum hæc lites! seligant eam methodum prudentes operatores, quam situs faculi suadet.

§. XIII.

Dicendorum ordo juberet ea quoque in medium obstacula proferre, quæ ab adhærentibus calculis surgere, plures sunt loquuti. Quum hæc adhærensionis opinio jam diu penitus extabuit, ut de ea filere satius esse judicaverim, quam frustra verba facere, vel sola asserta solertissimi RUYSCHEI proferre satis erit: "Inter ramosas, inquit, ve-

*l*) *Mém. de l'Acad. des sciences.* Ann. 1702. p. 41. *biv. de. 1702*  
*m*) *In Inst. chir.* Part. II. Sect. V. cap. 142. p. 897.



„ sicae excrescentias, a calculi attritione productas, cal-  
 „ culi aliquando latitant, quemadmodum pilae luforiae,  
 „ nuces &c. inter plantas gramineas, hinc non raro con-  
 „ tingit in calculi extractione, ut lithotomus non solum  
 „ calculum, verum etiam dictas ramosas excrescentias for-  
 „ cipe arripiat, unde lethalia saepe symptomata suborun-  
 „ tur, & hoc demum est, quod calculus dicitur adhæsisse  
 „ vesicae, cum post extractionem aliquid carnosum reperia-  
 „ tur in forcipis cavitate n).” Sunt plures ex præstantissi-  
 „ mis auctoribus o), qui unquam calculum & vesicam inter  
 „ se glutinari posse, negant, neque etiam fidem habenden-  
 „ dam esse chirurgis, contendunt p); hos enim saepe, si  
 „ calculum vel haud reperiunt, vel deducere nequeunt,  
 „ vel dum fermentis ad ipsam vesicam perveniunt, illam  
 „ convulnerant, aut duplicatam adducunt, aut aliter agi-  
 „ tant, longaque inquisitione lædunt, & imperitiæ suæ ex  
 „ adhæsione, quam prætendunt, patrocinium ac velamen-  
 „ tum querere.

§. XIV.

Nondum iter difficultatum absolvi; dantur adhuc  
 alia non prævisa in operatione nostra obstacula, quæ in  
 ipsa quasi via, qua adimus in vesicæ cavum, decipiunt  
 operatores, eorumque conamina efficiunt frustranea. Hoc  
 eveniet tunc, quum glandula prostata in apertura abit  
 tantum, ut illa alteram vesicam mentiatur. Observarunt  
 illam in abscessum degenerasse AMBR. PARÆUS q), cel.

n) *Theaur. anat.* IV. tab. II. p. 23. n. 51. & p. 30. n. 78.

o) LE CAT evidentissime hanc opinionem refutavit.

p) LE DRAN *Traité des opérat.* p. 271. refert de iis: *je reclame  
 contre ceux, qui ne pouvant ôter une pierre dans l'opération  
 se sont fait de cette adhérence supposée un bouclier contre la  
 censure Esc.*

q) Apud cel. BONET. *Sepulchr. anat.* Lib. III. Sect. XXVI. obs. I.  
 §. 6. p. 1244.

olim lithotomus COLOT <sup>r)</sup>, & illustris DE HAEN <sup>s)</sup>, ubi in calculosi cadavere vesicam inter rectumque faccus vagus, gangrænosus, nigro muco plenus repertus erat; in eumque foramen patuit ex vesica urinaria, quæ tres lineas crassa calculum oblongum, asperum, ponderis binarum fere unciarum arctissime comprehendebat. Hæc ab auctoribus in cadaveribus deprehensa, quid in sectione calculi efficiant, vel sola, quam cl. MÜLLER <sup>t)</sup> adducit, observatio docebit; ubi prostata abiit in apostema, in quod, tempore sectionis, intromissa per foramen urethræ non-naturale specilla intraverant, ita ut vesicam mentiretur; hic omnibus incassum tentatis, æger abiit ad plures. Cadavere sectioni tradito inter alia vesicæ vitia, urethræ orificium replebat nodosus ex calculo eminens processus; ille nimirum sine dubio, quem subinde tetigerat specillum, prostata vero glandulæ, cujus caro a superiore sua parte in abscessum abierat, velamentum ita erat extensum, ut eam sisteret cavitatem, in quam pervenerant specilla, adeoque vesicam mentita fuerat, in quam, cum penitus clausa esset vera, nunquam non introire potuerunt instrumenta.

## §. XV.

Vellem quoque huc trahere illos consuetæ exploratione certe nunquam detegendos calculos, qui aliquando loco alieno, alius morbi sub larva ludunt, quique veram non præbent sui notitiam, vacillantes circa mali diagnosin medicos relinquunt ambiguos; loca hæc sunt: inguina, scrotum, vagina, perinæum, urethra, prostata <sup>u)</sup>. Sed

<sup>r)</sup> *Traité de l'oper. de la taille* p. 195.

<sup>s)</sup> *Rat. med.* P. 1. c. VII. p. 79.

<sup>t)</sup> *I. c.* p. 19. §. 6. & velaminis hujus icon nitide expressa est fig. 2.

lit. b.

<sup>u)</sup> Cl. DE HAEN *Rat. med.* Part. III. Cap. IV. p. 165. n. 4. vidit



jam instituti mei ratio exposcit, ut in illa ludentis naturæ producta delabar, quæ aliquantisper meo casui respondent. Polydædala natura in formandis animalibus mire interdum ludit, procreat superflua vasa w), viscera x), musculos y), membra z). Id quod nec in vesica insolens esse, erat observatum. Solertissimus RUVSCHIUS sic disserit: "Se geminam vesicam in corpore humano nunquam reperisse, duplicatam vero, aut in duas partes divisam in quadrupedibus aliquoties offendisse, earumque nonnullas conservasse a)." COITER exhibet duas vesicas urinarias virginis cujusdam, alteram naturalem, & in sua sede collocatam, alteram ex matricis colli dextro latere prognatam, naturali vesica duplo quasi majorem, lotio plenissimam, & duabus tunicis, ut naturalis vesica, præditam, hic nullus meatus aquam vel immittens, vel emitteus conspiciebatur b). CATTIERUS in cadavere infantis quindecim diebus post partum extinctæ reperit duas vesicas in hypogastrio e regione dispositas, a se invicem digiti fere latitudinis distitas, in quarum unamquamque unus ex ureteribus e directo inferebatur c). Manet adhuc litho-

multoties herniam vesicæ urinariæ calculos aluisse, aliosque adducit qui id ipsum observarunt.

w) Arcus aortæ in duos ramos secedens, qui deinde in unum rursus truncum coeunt, sicque quasi insulam formant, per quam œsophagus, & aspera arteria transeunt. Conf. *Commerc. litter. Norimberg. Ann. 1737. hebdom. 21. p. 161.*

x) Renes quatuor. BARTHOLINUS *Act. Hafn. Vol. III. obs. 7.*

y) Supernumerarios musculos exhibet WEITBRECHT *Comment. Petropol. Tom. V. p. 258. & 260.*

z) Octo digitos in dextra & sex in sinistra CAUROI *Journal des Savants Ann. 1696.*

a) Cent. Obs. anat. chir. obs. VII. p. 14.

b) Apud SCHENKIIUM a Grafenberg *obs. med. Lib. III. Sect. II. observ. 232.*

c) Obs. 20. p. 76.



tomos & illud, ut vesica interius membrana intermedia in duas cavitates distinguatur, vidit ejusmodi vesicam quasi septo in duas partes divisam CASPARUS BAUHINUS *d*) in ill. Principis Onolsbacensis cadavere. Similis etiam in unius matronæ septuagenariæ cadavere vesica erat observata, paulo tamen contractior, majoris pugni magnitudinem æquabat, interius membrana intermedia, quæ fibrosonervea & vesicæ substantiæ persimilis, latitudine fere trium digitorum transversorum, a fundo vesicæ ad ureterum usque insertionem haud procul a sphinctere descendebat, in duas cavitates distincta, ita tamen ut urina libere ex ureterum ostiis ad collum vesicæ defluere poterit *e*). Ejusmodi aberrationes naturæ quanti in lithotomia sint laboris, vel ex mea observatione patefiet. Felix certe esset lithotomus lætosque suæ artis successus haberet, si hæc hucusque allegata, priusquam scalpellum admoveret, haberet perspecta, ut pro re nata, postquam quid sperandum, quid timendum sit, sagax perspiceret, videretque quid valeret vires, quid ferre recusarent; non omnia me absolvisse lithotomiæ obstaculorum genera fateor, priusquam tamen finem sermone imponam, profero meum casum.

#### OBSERVATIO.

Petropoli, in Nosocomio dicto pedestri, chirurgi munus obieram, ubi anno 1779, Martio mensē, inter curæ meæ commissos ægros unum militem vigesimum septimum agentem annum symptomatibus vesicæ urinariæ calculo laborantium vexatum offendi, quibus excruciarī per septem annos interrogatū dixit, celebrata, itaque ad quanti

*d*) VERZASCHA *obs. med. cent. obs. 57. p. 110.*

*e*) Wilhelmus Bernhardus NEBELIUS ex recensione de FORT. in E. N. C. Vol. I. obs. XC. p. 170.



quam confugere solent chirurgi exploratione, statim primis tentaminibus ita manifeste ope specilli, in cavum vesicæ dati, sensi calculum, ut nullum etiam adstantibus dubium calculum in vesica subesse, oriretur, quum ex allisione catheteris ad calculum sonitus, quem metalla ad lapidem collisa edere solent, perciperetur, utque æger hoc diro liberetur nucleò, nihil, quam ut ferri ultimum ægro auxilium admoveretur, supererat. Hac convictus certitudine, corpus ad sectionem lautiori, quam vivere consuetus erat miles, vitæ genere preparabam, diemque ad hunc laborem constitui, sicque Viro amplissimo THOMA TYCHORSKY hujus nosodochii seniore Doctore Consiliario aulæ, collegii medici nunc membro gravissimo præsentem, cels. HÄMEN, Collegii Assessorem, Operatorem dexterrimum, nec non meo, qui multoties ipse hanc operationem in vivis feliciter administraverat, amico RUTZKY & aliorum chirurgorum turba, ad opus me accinxi, viamque, quam CHESELDENUS nobile Anglorum decus docet, quæque mihi semper prospera fuit, elegi. Immisi secunda vice catheterem per urethram in cavum vesicæ, ut etiam adstantes de calculi præsentia, certi essent, vertebam illum quaquaversum, ne minimum tamen calculi vestigium detegere potui; hoc mihi mirandum phænomenon visum erat; extraxi specillum, immisi digitum in anum, sensi calculum evidentissime, quem instrumento explorare non potui; cum hoc perpenderem non aliud, quam me in explorandi momento, vel in tempora contractionis vesicæ forsan incidisse, vel calculum sese in appendice ejus abscondisse, suspicabar; non semovi tamen ab opere manum. Sumo sulcatum specillum, intromitto in urethram, & vix apex hujus instrumenti in cavum vesicæ demittitur, & ex allisione instrumenti ad calculum, sonitus jam exauditur. Sine mora, e latere, ut fieri solet incidendam integumenta, interque musculos ischiocavernosum,

D



& bulbocavernosum sectionem promoveram, hoc facto, intromisi attentus ductorem canaliculatum, statim ex effluxu urinæ metum instrumentum in cavo vesicæ adesse, conclusi; post extraxi specillum, ac supra conductorem forcipem cautus immisi, hæc duo ferramenta subito, ita inverfa feci, ut ductor superior esset, cumque eo pene momento exemi, meamque forcipem huc illic libere extendi calculumque prehensum extraxi felicissimus. Digito dein instrumentoque exploratorio (*bouton*) in vesicam datis, nihil heterogenei detexi. His peractis æger omnium dolorum oblitus esse videbatur; brevi tamen miser de immanibus vesicæ doloribus conqueritur. Altero die corripitur febre inflammatoria, quærelasque proferebat doloris vesicæ continuas, ut in hujus causam inquirerem, immisi iterum digitum in vulnus, ob ejulatus tamen, quos æger edebat, acerbos, non potui quaquaversum interiora vesicæ perlustrare; hoc nisi solum vesicæ parietem in latere dextro maxime digito cedentem fuisse, persentisebam; compulsò in alvum digito nihil monstri detexi. Quid ergo causæ tam favientium symptomatum esset, dubius hærebam, quibus in dies ingravescentibus, exhibentur cum aliis medicamentis clysmata lenientia, nec non ejusdem generis vesicæ lotiones; secatur vena, omnia artis admicula erant frustra; inter hæc doloris ærumnas miser miseræ vitæ, quinto die, ultimum dixit vale. Instituta cadaveris sectione, prius partes in operatione dissectas lustravi attentissimus, nullum me hic errorem commississe oculis fidis adstantium exhibui. Ipsam vesicam magnitudine naturalem maxime superantem, detracta externa peritonæi membrana aperui, ab illa incipiens, ubi in operatione substiti, iplagam. Quum vero ad fundum usque vesicæ sectionem deduxerim, margines dissectos crassissimos paulatim diducendo (unice enim in id intentus eram, an quocunque modo vesicam instrumentis læserim), statim intus ab illa summitate interna vesicæ, ubi ura-



chus exit, efflorescebat membrana fibroso-nervea crassitie vesicæ sanæ persimilis; a suo ortu parietibus plani utriusque vesicæ continua instar septi descendebat, conformando sese cavo vesicæ, partim latior, partim angustior, usque ad orificium urethræ, hic resecta quasi sed crassior desinebat; sic duo ostia in cavum vesicæ patentia, quorum dextrum minus erat, ope hujus membranæ formabantur. Ut vero alteram vesicæ cavitatem introspicerem, intrusi meam forcipem in foramen dextrum, eoque, ut antea, modo sectionem ad apicem usque vesicæ deduxi, relicta, in medio illa membrana, cum reliqua, cui continua erat, vesicæ parte, quaque post reclinata in latus sinistrum, vidimus mirabundi adhuc alium in hac dextra vesicæ cavitate calculum circa fundum e latere cystidi inclusum, cujus solummodo apex in cavum vesicæ prominebat; aliæque cystidum primordia hic visa erant. Hæc cavitas erat inflammatione pustulisque gangrænosæ tacta, nec non etiam illa intermedia membrana, eo præcipue in loco, ubi obversa directe apici hujus calculi, eodem infelici sidere erat percussa. Sinistra vero, ex qua calculum extraxi, cavitates horum fere nihil offerebat; his lustratis direxi examen ad ureteres maxime dilatatos, quos dissectos materie alba glutinosa plenos fuisse, eorumque internam superficiem ubique monstruosa retinacula f) aluisse, ipsosque renes hac colluvie turgidos extitisse, observavi. Dum pondero hunc partium præternaturalem statum, nil prævidens mortem minantis monstri, liceat hanc aperire mentem. Dixi, me non potuisse secundo examine detegere calculum, ostiaque duo in isthmo urethræ, ope dictæ membranæ fuisse conformata, examen sectionis edocuit. Nonne tunc in explorandi momento meum instrumentum in cavitatem dextram per foramen dextrum pervasit, sicque calculum

f) Forfan hæc pro valvulis COSCHWITZ assumptit. vid. ejus Dissert. de valvulis ureterum.



(etfi & hic erat, sed alte & cystide, ut dixi, involutus) primo tentamine manifestissime detectum non potuit deprehendere, & tertio examine forsitan fortuna in sinistram vesicæ cavitatem per sinistrum foramen, ubi libere nidulabatur calculus, meum specillum fuit compulsus, sicque calculum detexit? Quodve in explorando remanentem calculum non detexerim, quis non videt ineluctabilia hujus successus impedimenta? Per vulnus eum deprehendere obstabat illud septum, per alvum vero, altus calculi situs & propria ejus cystis. Sed ponamus nos tam fuisse felices, ut calculi præsentiam quacunque encheiresi detectam haberemus, quanti esset laboris opus, discindendus esset prius paries intergerinus, dein dirigendum esset scalpellum in calculum, sed remotissimus locus, & propria ejus cystis an hoc permittant, dubito maxime.

\*\*\*\*\*


T H E S E S.

- I. Appendices vesicæ cum prolongationibus ejus non sunt confundenda.
- II. Pulvis cantharidum subtilissimus non tales edit effectus & sæpe nullos, quam pulvis mediocri comminutionis.
- III. Vesicæ actio est mixta, partim naturalis, partim a voluntate dependens.
- IV. Turunda non sunt ex chirurgia proscribenda, quum in multis casibus sint utilissima.
- V. Peste affectis nunquam est vena secanda.
- VI. Sapo officinalis veneto semper præferendus est.
- VII. Cundæ corporis humani membranae sunt sensiles.
- VIII. Rhabarbarum Moscoviticum, Persicum, Chinesè sunt merè synonyma.
- IX. Fasciæ tempore graviditatis, & præcipue ultimo mense, sunt maxima utilitatis.





bi-  
an





Straßburg, Med. Diss.,


Dr. Jacobi-  
Kilian

f

sb.

1017









DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO - CHIRURGICA  
DE  
IMPEDIMENTIS  
IN  
LITHOTOMIA OCCURRENTIBUS  
QUIBUS  
ACCEDIT SINGULARIS VESICÆ URINARIÆ  
OBSERVATIO,

QUAM  
PRO LICENTIA  
SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME IMPETRANDI  
IN INCLYTA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE  
ANNO MDCCLXXXI. DIE XXIV. JULII  
SOLENNITER DEFENDET

AUCTOR  
NICON KARPINSKY  
UCRANO - RUSSUS.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI  
Typis JOH. HENRICI HEITZII, Univerſitatis Typographi.